

luminum et ex dispositione lucentium: non esse materiae errantis hunc ordinem, neque quae temere coierunt, tanta arte pendere, ut terrarum gravissimum pondus sedeat immotum, et circa se properantis coeli fugam spectet; ut infusa vallibus maria molliant terras, nec ullum incrementum fluminum sentiant; ut ex minimis seminibus nascantur ingentia. Ne illa quidem quae videntur confusa et incerta, pluvias dico nubesque, et elisorum fulminum jactus, et incendia ruptis montium verticibus effusa, tremores labantis soli, et alia quae tumultuosa pars rerum circa terras movet, sine ratione, quamvis subita sint, accidunt: sed suas et illa causas habent non minus, quam quae alienis locis inspecta miracula sunt; ut in mediis fluctibus calentes aquae, et nova insularum in vasto exsipientium mari spatia. Jam vero si quis observaverit nudari litora pelago in se recedente, eademque intra exiguum tempus operiri, credet caeca quadam volutatione modo contrahi undas, et introrsum agi, modo erumpere, et magno cursu repetere sedem suam: quum illae interim portionibus crescunt, et ad horam ac diem subeunt, ampliores minoresque, prout illas lunare sidus elicit, ad cujus arbitrium oceanus exundat? Suo ista temporis reserventur: eo quidem magis, quod tu non dubitas de providentia, sed quereris. In gratiam te reducam cum diis, adversus optimos optimis. Neque enim rerum natura patitur, ut unquam bona bonis noceant. Inter bonos viros ac Deum amicitia est, conciliante virtute. Amicitiam dico? Immo etiam necessitudo et similitudo: quoniam quidem bonus ipse tempore tantum a Deo differt, discipulus ejus, aemulatorque, et vera progenies: quem parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor, sicut severi patres, durius educat. Itaque quum videris bonos viros acceptosque diis, laborare, sudare, per arduum ascendere, malos autem lascivire, et voluptatibus fluere: cogita filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia; illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi